

inimicorum, novo gaudio: sed reversus in terram Israel, audit Archelaum regnare in Judæa, mali corvi, malum ovum, novo timore. Sed recreatur iterum ab angelo, et jubetur ire in Galilæam et patriam civitatem, securam ab hoste. Denique, perdit filium duodennem, novo rursus dolore, sed post triduum eum reperit, recenti gaudio. Quæ omnia expendens S. Chrysost. hom. VIII. in Matth. ait: « Tum de prosperis tum ex adversis iustorum vitam admirabili varietate contexit Deus. » Bene itaque Ezechias Deum vitæ nostræ textorem facit, Isa. XXXVIII. *Præcisa est velut a recente via mea.* Tela enim fila non eodem omnia tendunt, sed alia recta, alia transversa sunt. Ita Deus per adversa et prospera vitam iustorum pertexit. Jacob filio suo Josepho velut omnium charissimo vestem polymitam, seu multocotilorem fecit, Gen. XXXVII. quæ variam ejus fortunam significabat, per quam excoqui et exaltari debuit. Multum ea vestis a multis pati debuit, donec in byssinam mutaretur: abstracta est puero a fratribus, intincta in sanguine hædi, monstrata parenti. In Ægypto etiam vestis ei ablata a domina, monstrata est hero ad reum agendum miserum Josephum. Sic ipse demum meruit purpuram et byssum. Ita et Josephus noster, quia justus Deoque charissimus erat, vestitus est a Deo varia tribulatione: deserere domum et suppellectilem suam debuit, ac migrare in Ægyptum. Inde iterum remeare, et quæ ibi paraverat, relinquere, perpetuus peregrinus. Quis habitat ipsum jam in celo bysso vestitum et purpura?

II. Per patientiam et silentium, Josephus ille tentatus a domina, noluit eam accusare apud dominum, tamquam insidiatricem et calumniatricem; utique ne dissidium inter conjuges crearet, et ipsam vitæ discrimini exponeret: sed maluit ipse velut reus in carcerem compingi, licet probatæ fidei servus apud dominum. Sic enim scribit Josephus, l. II. antiq. c. III. « Josephus autem innocentiam suam Deo committens, neque se defendere curavit, neque rem, ita ut gesta erat, indicare; sed vinculorum necessitatem tacitus ferens, una spe consolabatur, nimirum potentior esse Deum his qui se vixerant, ejus providentiam mox est expertus, etc. » Ideo ei Deus gratiam interpretandi somma dedit, sicque eum non modo e carcere eripuit, sed etiam in aula regis exaltavit. Ita s. noster Joseph, cum videret gravidam sponsam, nec sciret unde id esset, noluit eam traducere apud homines, multo minus accusare apud iudices: sed maluit fugam eligere, eaque se tamquam sponsum fugitivum infamie obijcere, ut sponsæ famæ consuleret.

Quamobrem ab angelo in somno edoceri meruit et recreari læto nuntio. Fuit hæc heroica patientia simul et dilectio, notanda præsertim conjugibus, ut unus alterius magis quam proprio bono consulat et honori, uti fecit Jacob, pater Josephi, qui obvians fratri Esau, in feno sibi, non tam suæ quam uxorum salutis timuit: *Valde cum timeo, inquit, ne forte veniens percutiat matrem cum filiis,* Gen. XXXII.

III. Per promptam obedientiam. Hanc exhibuit in primis Joseph ille, qui missus a patre suo ad fratres, sibi licet infestos (Gen. XXXVII.) mox obediens: *Præsto sum,* ait; viaque satis longa atque incognita, de saltu in saltum errabundus perrexit; nec subito regressus domum est, ex fastidio itineris vel desperatione, quando eos non mox invenit. Pari modo Joseph noster totus dependebat ob ore et imperio Dei. Jussus manere cum conjugibus, statim mansit: surgere nocte et fugere in Ægyptum, ad barbaros, gentiles, Judæorum inimicos: « Non ait: Incerta ista res est, ac prorsus ambigua: tu paulo ante dicebas, quia salvabit populum suum, et nunc seipsum quidem non potest de periculo liberare, » (ait Chrysostomus, hom. III. in Matth.) sed longissimo et fastidioso itinere fugit. Ibi jussus hæerere, donec moneretur, hæsit: inde redire, rediit: in Galilæam deflectere, deflexit. Nihil excipit, non contradicit, non queritur de amissione domus et suppellectilis. Quare sicut ille Joseph, ob meritum obedientiæ omnia superavit pericula, ita etiam noster iste.

Dices: Si Joseph ille patriarcha opposuisset se parentis mandato, non incidisset in insidias fratrum, non fuisset venditus in Ægyptum, non coniectus triennio in carcerem. Respondeo: Verum est hoc; sed nec fuisset umquam evehctus in principatum, nec salvasset domum suam, uti nec Ægyptum. Itaque per obedientiam et depressionem exaltatus est; sicut qui in altum saltare vult, prius in imum se deprimat necesse est. Quando ergo magni esse volumus, prius per obedientiam erga Ecclesiam et superiores nos humiliemus.

IV. Per fidelitatem, qua et res et uxorem Petipharis, deinde aulam atque opes Pharaonis servavit in primis Joseph ille, dispensavit, administravit. Ideo uti Putiphari dilectus fuit, sic et Pharaoni, et uterque ei omnia sua commisit. Talis et Josephus noster, cui Deus Filium suum cum Matre ejus servandum atque alendum contulit: quod plane signum apertissimum est, fidissimum custodem fuisse. Unde de eo S. Bernard. serm. II. super *Missus est*, ait: *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus Matris suæ*

*solatium, suæ carnis nutritium.* Servus plane; quia uti servus potius servit Christo et Matri ejus, quam ut pater et conjux. Videtur ergo ipsum connotare id Cant. VII. *Venter tuus (Maria) sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Ventrem enim sponsæ illibatam servavit Joseph noster sua castitate, cui per votum se alligavit; (ideo lilia appinguntur ejus manibus.) De Christo vero Cant. VI. rectissime etiam dictum: *Qui pascitur inter lilia,* hoc est, inter Mariam et Josephum. Triticum Joseph servavit Pharaoni pro Ægypto et vicinis terris, regis in horreis: Joseph sua industria panem cælestem in utero Virginis pro toto mundo. Quare sicut Pharaeo Josepho omnia commisit, et quicumque aliquid peterent, ad Josephum omnes remisit velut ad plenissimæ potestatis dispensatorem: *Ite ad Joseph et quidquid ipse vobis dixerit, facite,* Genes. XLI. sic non dubitandum S. Josephum, in celo exaltatum, accepisse plenissimam potestatem dispertiendi nobis dona cælestia: ut bene dicere possit cum Josepho jam exaltato: *Crescere me fecit Deus in terra pauperatis meæ.* Quid enim putatis videre fabrum lignarium inter summi cæli principes? Quantum hoc incrementum! Quomodo ergo non audiet Mater Dei sponsum suum? Quomodo non Matrem Filium? Liceat enim simili modo argumentari, quo Themistocles Atheniensium dux filium suum, quem mater in deliciis habebat, plurimum omnium Græcorum posse colligebat hac ratione: *Athenienses dominantur Græcis, ego Atheniensibus dominor, mihi mater, matri filius: ergo filius Græcis,* Plut. in Græcor. apophtheg. Christus dominatur orbi: Mater (suo quodam jure) Filio: Josephi Matri: ergo et ipse (suo modo) orbi. Quinimo Joseph etiam quadam ratione imperare poterat Christo, quia etsi non ab ipso, natus est tamen ipsi ex conjugibus, supra naturæ vires, de Spiritu sancto: *Quod autem nascitur in agro meo, meum est,* ait jurisconsultus. Quare non dissimili modo, sicut audiet Filium in celo Matrem sic audiet et Patrem. Unde Joan. Gerson, in sua Josephina: « Quanta (inquit) fiducia Joseph! Quanta in eo vis impetrandi! Quia dum vir uxorem, dum pater filium orat, velut imperium reputatur. » Vulgo dicitur: *Amicus, qui rogat, jubet: qui jubet, cogit.* Josephus non amicus tantum, sed pater plus quam adoptivus Christi fuit: cum ergo rogabit Filium, quasi jubebit; si jubebit, quasi coget. Quare si qua in necessitate constituti estis, o fideles; si in fame, belli periculo, peste, persecutione: *Ite ad Joseph, et quidquid ille dixerit, quidquid a Christo petierit, utique id fiet.* Sancta virgo Theresia, non ita pridem inter sanctos relata asserebat, se mira et

magna, imo omnia, quæ habebat, per ejus intercessionem obtinuisse; quodque amplius est, ab ipsa Dei Matre ad Josephum remissa fuit, quasi per ipsius interventum nihil non impetratura. Quam ob causam illius cultum in sacro suo ordine, passim extractis ad ejus honorem templis, mirifice instauravit, auxit, promovit, ut in ejus vita libro I. capite XV. et alibi vider eest.

## CONCIO III.

NOBILITUM SYMBOLA ET MONITA, APPLICATA ETIAM VERIS CHRISTIANIS.

I. Cor monet ut sint cordati. — II. Annulus aureus monet, ut ingenuis et honestis operibus vacent. — III. Aurea bulla admonens fragilitatis humanæ. — IV. Lunulæ in calcæis monentes ut curam proximorum habeant. — V. Torques aureus, monile submissionis et obedientiæ.

## THEMA.

*Joseph Filii David, noli timere.* Matth. I.

Non sine magna ratione compellat angelus, Josephum nomine *filii David.* Rem etenim magnam persuadere ei voluit, ut nimirum conjugem, uterum ferentem, nec tamen a se cognitam, constanter retineret, et nequaquam, ut jam moliebatur, derelinqueret. Quo igitur argumento rem tam difficilem angelus persuasit? Non alio, nisi insinuando ei ingentem nobilitatem, tractam e familia David: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam,* quasi dicat: Memento nobilitatis et regii sanguinis tui, ut ne inuras tuo nomini, et conjugii tuæ tam præcelsæ Deoque adeo charæ, hæc ignominie notam, ut eam deseras. Habent ergo hic nobiles in primis stimulum virtutis, ut ne ab æquo et recto discedant, memores sanguinis sui a nobilibus tracti majoribus. Habent etiam suo modo ceteri Christiani, qui et ipsi in baptismo Dei Filii, adeoque veri nobiles effecti sunt, in Christo non inferiores illis, qui sanguine sunt nobiles: Ita enim S. Chrysost. hom. XX. in Matth. *Cunctis,* inquit, *unam atque eandem nobilitatem donavit Deus, cum dignatus est omnium pater vocari:* et S. August. lib. ult. de serm. Domini in monte: « Admonentur hic divites (inquit) vel genere nobiles secundum sæculum; cum Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes et ignobiles, quoniam simul dicunt Deo: Pater noster; quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant. » Domus enim David Ecclesia universa est: quotquot ergo veri ac pii Christiani sunt, ii

de domo David sunt. Quæ cum ita sint, nunc videndum restat, quid nobilitate Christianorum incumbat, quod hic dicemus.

Cognosci potest hoc ex nobilitatis symbolis compluribus; quorum:

I. Primum, cor apud veteres nobilium insigne fuit: quare ingenui adolescentes apud Romanos cordis figuram in pectore appensam gerebant, teste Macrobio, libr. I. Saturn. cap. VI. Plin. lib. XXXIII. cap. I. Alex. ab Alex. libr. II. c. XIX. Quid autem cor nisi hominem cordatum et magnanimum designat? De timido enim et pusillanimo dicere solemus, non habere eum cor. Nobiles ergo præ cæteris cordatos se demonstrant ac magnanimos, timiditatem sibi dedecori ducunt. Hinc antiquitus *militēs* appellati, quod inter primarios pro patria militarent. Germanice de aquila dicuntur, quod victrices aquilas Romanaque signa sequi solerent, ut scribit Adamus Conzen, libro VIII. polit. cap. XXII. adeoque aciem anteibant. Nominati et scutiferi, eod. auct. ibid. in scutis etiam symbola fortitudinem militarem præ se ferentia gerebant. Imo ob hanc eorum fortitudinem censebantur esse clypei patriæ et Ecclesiæ; quemadmodum etiam Debhora in suo Cantico, Judic. V. ait: *Cor meum diligit principes Israel*; seu ut Procopius legit: *Clypeos Israel*. Ut enim clypeus defendit corpus, ita nobiles patriam. Unde mos deiciendi clypeum, cum nobilis familiæ extinguitur. Ergo Christiani, qui ad veram aspirant nobilitatem, cor se habere monstrent, pro defendendo Dei honore, Christi Ecclesia et salute sua ac proximorum. Pro exemplo habent in primis Josephum ab Arimathæa, quem Sanctus Marcus appellat *nobilem centurionem*. Hic cum esset occultus Jesu discipulus, ipso in cruce mortuo: *Introivit audacter ad Pilatum et petiit corpus Jesu*, Marci XV. De quo Sanctus Chrysostomus, hom. LXXXIX. in Matth. ait: «Hic erat Joseph, qui quamvis prius occultabatur, rem tamen post mortem Christi subiit arduam. Non enim ignobilis quidam erat neque ignotus, sed ex consilio unus atque insignis: unde fortitudo ejus maxime admiranda est, cum propter amorem Jesu periculum mortis susceperit, et universorum se odio traderit: exanime quippe corpus petere ausus non ante destitit, quam impetravit.» Quo etiam facto suo Judæorum scelus facile redarguit atque condemnavit. Nihilo hoc inferior fuit noster Josephus, cujus hodie festum agimus. Hic enim pro defensione et amore Christi (suo modo filii sui) non unum se periculo commisit, quando eum Jerusalem, Herode jam insidias et iras coquente, præsentandum in templum duxit, et in Ægyptum subduxit: ad hæc in conjugio virginalem castita-

tem una cum conjugio servavit, quod usque ad id temporis inauditum plane erat. Ignobiles sunt illi, qui thesaurum pudicitiae contra insidiatores non tuentur; uti et parentes, qui liberos suos Herodi non subducunt, sed perverti patiuntur ac seduci; similes Hebræis illis, de quibus Ose. VII. dicitur: *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor*. Columba est tam vecors, ut sine omni resistentia ac doloris sensu sibi patiatur eripi et jugulari pullos; cum aliae aves omnes pro suis pugnent toto conatu. Sic vecordes erant Hebræi multi, qui permittebant liberos suos cremari idolo Moloch, absque sensu doloris redeuntēs nihilominus ad idola sua. Quid autem aliud agunt parentes, qui salutem liberorum suorum et pudicitiam prostituunt, aut negligunt?

II. Aureus annulus nobilitatis etiam insigne erat. Patet primo, ex epistola Sancti Jacobi, c. II. *Si introierit in conventum vestrum vir aureum anulum habens*. Ita nobilem describit. Olim soli senatores et equites annulus utebantur, teste Dione, libro XLVIII. Antonium quoque Musam medicum, quod Augustum imperatorem jam conclamatum, sanitati restituisset, aureo annulo donatum refert Cælius, lib. VI. capite XXI. antiq. lect. Manibus quia pleraque opera peragimus, operationes hominum ubique in Sacra Scriptura designantur. Ut ergo manus annulis aureis ornatur et quasi nobilitatur; ita hominum opera condecorantur honestate et virtute: inde aureus annulus nobilibus monitum hoc dabat, ut non nisi virtuosus, liberalibus et ingenuis actionibus se impenderent, adeoque quasi opera aurea, se digna, perpetrarent. Deridendos sese orbi exposuerunt principes illi, qui ludicris se dabant rebus, cum seriis et magnis deberent, uti Domitianus, qui certum horarum pensum musicis acuto stylo confingendis dabat, teste Suet. Hartabus Hyrcanorum rex, qui talpas capiebat: Bias Lydorum, qui ranas filo trajiciebat: Æropus Macedonum item rex laternas faciens: Parthorum reges telorum cuspides exacuentes, apud Plut. in Demetrio: Persarum reges arborum cortices, seu phillyria, cultello scindentes, teste Æliano, libro XIV. capite XII. Indigna prorsus sunt ista nobilissimo sanguine: pueris magis et mulieribus, quam viris ingenuis convenientia. Unde Marcus Antonius triumphans et potentissimi dux exercitus, cum Alexandriæ una cum Cleopatra regina exisset ad piscandum hamo, et quidam urinatores constituti essent, ut pisces hamo affigerent, eorumque unus fumatum affixisset, eo cum risu extracto audiit a Cleopatra: *Alexandrinorum est, Antoni imperator fortissime, piscari*:

*tuum vero bellando vincere*, Plut. in Antonio. Non minus quam hos, dedecet in primis nobiles, deinde etiam omnes Christianos cælo et cælestibus rebus in baptismo natos, nugis et crepundiis puerilibus tempus impendere, ut est, verbi gratia, blandiri uni puellæ, stare ante speculum, crines et barbam pectere ac demulcere, tibialia et ocreas diligenter attrahere et mundare, fascias crurales pedibus, et rosas varicolores calceis aptare, reliculo et pila ludere, jocos et facetias fundere, ad numerum scite saltare, aleas jacere, comessari et helluari, dictis alijs proscindere. Vel (quod ad sexum femineum attinet) novas quotidie vestes et vestiendi modos inquirere, in speculo se toties contueri, pilos capitis concinnare, fucum vultui inducere, delicias perquirere, in rhedis se ostentare, stulta et nugatoria nuntia mittere, vanissimos sermones de somniis et somno miscere, et his similia. De quibus arguntur Ps. IV. *Filii hominum, usquequo gravi corde?* Secundum Hieronymum: *Usquequo inclyti mei, ad ignominiam diligitis vanitatem et queritis mendacium?* Cogitate quot millia in gehennæ flammis, nullis maribus extinguendis, jam lamententur ob tempus tam nobile tam ignobiliter impensum! Et quid illi acuri essent, si vel ad unum diem daretur reditus ad superos? Quam longe alia agerent! Et qui scitis, quam prope ab illis absitis? Vel nostrum Josephum aspiciate; qui cum esset faber opificio, utique fabrilis velut sibi convenientia tractabat, quo victum sibi suisque pararet. Qualia vero fuerint, colligimus ex Sancto Justino, antiquissimo auctore et martyre, qui in dial. cum Tryphone ait, solitum Christum: *Aratra fabricare jugaque, ut per has figuras justitiam doceret, et reipsa fugam otii*. In his ergo patrem secutus, eadem agentem adjuvabat. Quid autem humano generi utilius et honestius, quam agriculturam promoveri? Neque tamen hoc præcipuum Josephi exercitium fuisse arbitrandum est, quin multo plus impenderit virtutum et pietatis studio, quod non modo a sanctissima conjugio, sed a Sancto sanctorum Filio edoceri poterat, tametsi jam prius justus et sanctus.

III. Aurea quoque bulla e collo dependens, nobilium erat signum, teste Plinio, libro XXXIII. capite I. Macrobi. I. Saturn. capite VI. habens uti nomen, ita similitudinem bullæ, quæ in aquis nascit, vel a pueris in nucis cortice ex aqua et sapone per flatum excitatur: quæ ad momentum quidem e calamo dependet et pueros delectat, subito tamen dissolvitur et vanescit. Monebantur hujus bullæ monili nobiles, ut memores fragilitatis humanæ naturæ, quam cum plebeis communem habent, supra ipsos se non insolenter ex-

tollerent, sed pares eis nascendi et moriendi conditionem intelligerent. Qua in re mire insaniunt nobiles Malabares, qui si ab ignobili tangantur, pollui se existimant: quare obviantes sibi ignobiles a via jubent deflectere; alioquin male tractant, teste Osorio, libro II. rerum Emman. Sed quid nimirum si gentiles ita delirent, cum et inter Christianos hujusmodi non desint? Vulgari antiquorum parœmia *homo bulla* appellabatur, quæ æque principes et nobiles, atque plebeios comprehendit. Ita enim Oseæ X. dicitur: *Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam maris super faciem aquæ*. Ergo sicut triumphator triumphali curru Romam ingrediens præconis voce a tergo monebatur: *Respice post te: hominem memento te*, (auct. antiqu. Rom. libro X. capite XXIX.) ita etiam nobiles humilitatis admonebantur aspectu illius bullæ; ne, quod proclive est nobilitati, alios contemnerent. Qua de re etiam Sanctus Hieronymus nobilem feminam, epistola XIV. sic hortatur: *Nulli te unquam generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque et humiliore loco natas, et inferiores putes*. *Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum, servum et nobilem de moribus pronuntiat!* et mox: *Nihil est quod nos ita et hominibus gratos et Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi sumus, propter quod Scriptura dicit: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam*, Eccl. III. Imagines ex umbra circumposita pulchriores elucet: ita nobilitas ex umbra humilitatis splendidior evadit. Id confirmat de Sancta Melania nobili simul et humili matrona Romana Sanctus Paulinus, epistola X. «Nobilitatem quoque (inquit) ad operis sui gloriam Dominus illi contulit, quo magis confunderetur iste mundus, qui talibus titulis gloriatur: ut quo vanitas hominum ad contemptum Dei utitur, ista potius ad contemptum mundi uteretur: simul ut major salutaris exempli proderetur auctoritas humiliandis superbiorum oculis.» Præit hac in re exemplo suo Sanctus Joseph noster, qui ex sententia Origenis, Matth. I. et S. Basilii, hom. XXV. to. I. necnon Sancti Bernardi, hom. II. super *Missus est*, ex humilitate voluit deserere conjugem suam gravidam, ubi rescivit, vel (quod verius videtur) suspicatus est eam divinitus gravidam factam, quod indignum se reputaret, qui tali virgini cohabitaret: non dico in thoro (quod nunquam intendit), sed etiam in domo. Audiamus Origenem: «Timens ejusmodi mulieris vir nominari, olanculum ipsam dimittere voluit, etc.» Sanctus Bernardus vero: «Indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali et a tanta non debere sibi

ultra familiare præstari contubernium; cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem. etc. » Præit etiam nobilis ille decurio, Joseph alter, qui non habita ratione nobilitatis suæ, crucem, Judæis probrosam, ascendit, et Christum inde deposuit, immortalis et stupendo sane humilitatis exemplo, non solum omnibus nobilibus, sed magis adhuc cæteris fidelibus, ut ne pro Christi amore erubescant quascumque sustinere confusiones. Pictores in suis imaginibus montes umbra attollunt, et altiorum rerum summitates prominentes faciunt: pari modo nobilitas tam fidei quam sanguinis, beneficio humilitatis ad cælum attollitur et gloriosa coram Deo et hominibus apparebit.

IV. Lunulæ in calceis corniculatæ nobiles designabant et a cæteris distinguebant, uti scribit Plutarchus, in quæstion. Rom. ubi de causis ejus symboli divinat, et recti quidem sentit admoneri eos fortunæ inconstantis, et instabilitatis suæ, qualis cernitur in luna, nunc plena, nunc obscura, nunc crescente, nunc deficiente: et visa est in familia Davidis, ab aculo pastoritio ad sceptrum evecta, inde rursus in Josepho nostro ad securim depressa. Sed meo judicio potior illa causa est, quod sicut luna reatrix et projectrix est rerum sublunarium, in easque maximam habet influentiam (unde *dea seminum et silvarum appellatur*), dominatur etiam in maria et ipsa humana corpora: ita nobiles fere dominantur orbi, regunt plebem et preterunt, in eamque influunt sua prudentia, fortitudine, auctoritate, liberalitate; certe influere debent, cum fere ipsi in dignitatibus constituti, mundum gubernent. Hoc ni fallor indicare voluit Henricus III. Galliarum rex, qui crescentem lunam in symbolo suo prætulit, ea inscriptione: *Donec totum impleat orbem*, Beirl. in theatro v. stemma Sancti Wilebrordi episcopi Traject. mater, eo gravis, visa est sibi lunam novam crescentem, usque dum plena fieret, utero gestare: quod filius genti in tenebris positæ lumen allaturus esset, ut in ejus vita, 7. nov. apud Sur. Tales ergo lunæ sunt vel esse deberent nobiles Christiani, defendere pupillos, alere pauperes, dirigere errantes, fugare tenebriones, solari mæstos, recipere in tutelam omnes oppressos, eosque suo modo æmulari omnes Christiani. Habent exemplum in Sancto Josepho, qui hoc uno fine Matri Dei conjux a Deo datus et destinatus est, ut ejus virginis custos et servator, ipsius denique et Christi filii nutritus esset. Si enim sub ejus umbra Dei para non latuisset, ex lege forsitan velut adultera a Judæis lapidata fuisset, unde ipse personam veri et naturalis Christi patris sustinere debuit, ne et mater infamis, et filius illegitimus haberetur. Ipse

denique pauperem illam familiam suo labore sustentavit, non sibi tantum sed toti mundo. Accenseri potest ipsi alter ille Joseph, nobilis decurio, qui Christum in cruce mortuum suam suscepit in protectionem ac sepulcrum lapideum. Si absque eo fuisset, quo putatis Hebræi Christi corpus abjecissent? Num illud sepelissent? Nonne potius in monte Calvaria feris avibusque in prædam dedissent? At hoc passus non est sanctus illi Joseph, sed suum ipsi sepulcrum, novum et impollutum cecidit. Quanta hæc ejus gloria! Quantam in cælo remunerationem meruisse putamus! Idem cum pauperibus subditis, pupillis, oppressis agant nobiles, et cæteri Christiani: sic vere nobiles erunt.

V. Denique, torques aureus nobiles distinguit semper ab ignobilibus, et distinguit hodieque. Porro sicut ferrea vincula injiciuntur immorigeris, ita torques aureus præmium est morigerorum, ut colligimus ex capite I. Prov. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo*. Sui ergo torque nobiles demonstrant se ad Dei legem observandam primos et studiosissimos esse velle ac debere. Atque ita legimus, I. Par. XVIII. *Porro filii David primi ad manum regis, hoc est, promptissimi omnium ad regem imperium implendum*. Si isti primi ad manum regis, quanto æquius nos primi ad manum Dei? Scimus etiam Num. X. a Deo Moysi dictum: *Si semel clangueris (tuba), venient ad te principes et capita multitudinis Israel; ubi Procopius: Unius tubæ sonitu convocabantur principes, acutius cernentes et citius obedientes. At vero plebs convocabatur ad tabernaculum Domini a Moysæ, repetito clamore*. Ornamentum hoc est nobilium, si ad primum statim campanæ pulsum, adeoque primi sint ad templum adeundum, Deique legem audiendam et servandam; eo enim demonstrant se libere (quod nobilium est) et non coacte (quod servorum et vulgi) Deo se subjicere. Hinc eos laudat regius vates, Ps. LXVII. dicens: *Prævenierunt principes conjuncti psallentibus*. Vides eorum diligentiam in divino cultu. Hæc laus etiam debetur sancto nostro Josepho, qui in lege Dei observanda accuratissimus et promptissimus semper fuit. Patet ex circumciso et præsentato in templo Christo, datoque pro eo munere, secundum lege Moysis: patet ex fuga in Ægyptum, quam mox, ut mandatum sibi accepit, de nocte consurgens arripuit: patet ex perseverantia cum Maria conjugio, uterum ferente; quam juxta angeli monitum, nullatenus deseruit, tametsi se non esse patrem, sed nutritium tantum prolis futurum sciret. Effecit hæc ejus parendi alacritas, ut in posterum

ab angelo, per omnes suas vias dirigeretur et moneretur.

Quando igitur vidimus nobilium tam secundum sanguinem, quam secundum spiritum, notas et insignia, superest ut non ii tantum, qui generis splendorem a parentibus traxerunt, sed et omnes Christiani, qui nobilitatem spiritus et baptismo hauserunt, vitam et mores suos insignibus his accommodent. Frustra et ridicule gerit nomen nobilis, qui mores habet ignobiles: *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*, ait Sanctus Joannes episcopo Sardicensi: *In mente ergo habe, qualiter acceperis et audieris, et serva*, Apoc. III.

## CONCIO IV.

VIRTUTEM MAGIS NOBILITARE QUAM SANGUINEM OSTENDITUR.

I. Sanguinis nobilitas confert libertatem: magis tamen virtus. — II. Sanguinis nobilitas confert honorem: multo magis virtus. — III. Nobilitas generis promovet ad honores: multo magis virtus. — IV. Sanguinis nobilitas dat opes: magis tamen virtus.

## THEMA.

*Joseph autem vir ejus, cum esset justus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*. Matth. I.

Duplici nobilitatis titulo ornatur Sanctus Joseph hodierno evangelio: virtutis et prosapiæ. Virtutis, cum asserit a Matthæo *justus*; prosapiæ, cum ab angelo vocatur *filius David*. Pulchrum utrumque ornamentum: sed utrum altero præstantius? Certe de justitia prius commendatur Joseph, de prosapia posterius: et ne fœdam rem committeret, infamando conjugem innocentissimam ac sanctissimam non prosapia intercessit regia, sed virtus et justitia: *Joseph enim nollet eam traducere, etc.* Justitia ergo ejus prohibuit ne innocentem conjugem læderet: id quod sola ejus nobilitas certe non prohibuisset, sed dictasset potius. Præclarior igitur est virtutis quam sanguinis nobilitas: id quod non Christiani solum, sed et ethnici agnoverunt. Et illis Sanctus Hieronymus, ad Cælestiam, epistola XIV. « Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. » Sanctus Ambrosius, libro de arca et Noe, capite IV. « Probati viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus, homines; ita animarum genus, virtutes sunt. » Sanctus Greg. Nazianz. orat. XI. « Nobilitas vera est di-

vinæ imaginis conservatio atque archetypi imitatio, quam ratio et virtus efficiunt: et orat. XVIII. de Gregorio patre: *Unam nobilitatem*, inquit, *in pietate sitam esse censebat*: Cassianus, coll. II. c. X. *Nobilitas sola est atque unica virtus. Nobilissimus Deo est clarissimus virtutibus. Aliena laudat, qui genus laudat suum*. Ex his vero Seneca, libro V. ep. XLIV. *Qui ergo generosus?* inquit. *Ad virtutem bene a natura compositus. Hoc unum est intuentium. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, etc.* Diogenes rogatus, quinam hominum essent nobilissimi, respondit: *Qui divitias, gloriam, voluptatem, denique vitam contemunt: et vincunt contraria, paupertatem, infamiam, dolorem et mortem*. Quæ Taprobanam insulam incolunt gentes, regem eligunt, non qui nobilitate, sed qui virtute cæteris præstet, teste Solino, c. LXVI. Testes audivimus hujus veritatis: quia tamen ea difficile persuadetur iis, qui sanguinis nobilitatem jactant et omnibus aliis præferunt, ideo ad oculum magis comprobanda est.

I. Nobilitas prosapiæ confert, aut certe conferre existimatur, homini quamdam agendi libertatem et ingenuitatem; ita ut subjacere et cogi legibus nolit, sed sponte ac libere, quod rectum est, agere velit. Hac vero libertate sapissime abutitur sanguinis nobilitas, adeo etiam, ut Dei et Ecclesiæ leges spernat, quasi illis superior sit. Virtus autem confert homini verissimam libertatem et ingenuitatem, qua omne id, quod secundum Deum æquum et honestum est, sua sponte et alacriter agit, tametsi leges id non præscribant. Quare nihil metuit, nullum adversarium curat, nec tristitiam admittit. « Virtus enim, ait Cicero, II. Tuscul. a viro appellata est: viri autem propria maxime est fortitudo; cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. » Hebraice virtus vocatur *tumma*, h. e. *perfectio* seu *integritas*, quia vel sola homini satis superque est. Unde Antisthenes dicebat, virtutem sibi sufficere ad felicitatem nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico: virtutem enim esse armaturam, qua detrahi non possit. Ensis namque et clypeus excutuntur: sapiens autem ac virtute præditus nunquam non armatus est, ideoque vinci non potest. Quare negabat sapientem vivere juxta leges ab hominibus institutas, sed juxta normam virtutis. Epiceteto, apud Stob. serm. 1. anima dedita virtuti similis est perenni fonti, cujus aqua est pura, imperturbata, dulcis, accepta, copiosa, ab omni noxa et pernicie aliena: Socrati virtus est statua quædam in sua basi: S. Chrysostomus vero, homil. XXVIII. in Gen. « Sicut is, inquit, qui super excelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad petram magno impetu disrumpi, et protinus in

spumam solvi : ita et virtuti vacans in securo constitutus loco, nihil insuave fert a rebus turbulentis ; sed tranquillus animo et quietus sedet, intelligitque res hujus vitæ nihil differre ab omnium fluentis, tam rapido cursu transeuntibus. » Exemplo est S. Hilarion, qui circumventus a latronibus, et rogatus : *Quid faceres, si ad te latrones venirent? Nudus*, respondit, *latrones non timeo* : et illi : *Certe occidi potes. Possum*, inquit, *et ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum*, Hieron. in ejus vita. Abbas ille Macarius in sepulcro paganorum pernoctans, cujus mortui cadaver pro cervicali supposuisset capiti et demones ex eo voces ad terrendum ipsum ederent, diabolo fidenter dixit : *Surge, vade quo potes*. Similia legimus de S. Martino, Francisco et aliis. Ad hæc, ut dixi, virtute præditus libere et sponte agit, quæ virtutis sunt. Ut enim : *Alacer equus suapte sponte facile currit : ita qui ardet amore virtutis, non eget admonitore*, ait Plut. in mer. apud Anton. in melissa, ser. XXXI.

Non est hæc libertas et securitas in sanguinis nobilitate. Tametsi enim illa homines parum aut nihil timeat, Deum tamen judicem ac peccatorum vindicem cogitur metuere ; vel hoc ipso, quod humanas et divinas leges parvipendens, facile nimis transgredi soleat. Hinc judex ille in quadam civitate a Christo in parabolam adductus, Luc. XVIII. dicebat intra se : *Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam* (illius jus ab oppressione adversarii, illudque viduæ restituum), *ne in novissimo veniens sugillet me*, h. e. ne me tandem infamet, et apud principem me accuset, aut saltem in novissimo judicii die publice confundat. At nihil horum metuere facit nobilitas virtutis, quæ Deum judicem pro se stantem habet. Hinc Saul duobus primis annis, quibus in regimine innocens vixit, nullo præsidio munitus fuit : at ubi se virtutibus exiit, ad externa munimina, quibus se armaret, recurrit, ut advertit Genebrardus, libro I. chronol. anno mundi 3106.

II. Nobilitas sanguinis confert honorem, æstimationem, auctoritatem apud homines alios. Hinc enim dicti sunt *nobiles a noscendo*, quasi *noscibiles* ; quod velut lumina quædam, aut culmina omnium oculis pateant præ cæteris. Hinc primas in conventu sedes obtinent, honorificis titulis compellantur, de via obviis ceditur, caput operitur, honores deferuntur. At hoc ipsum multo magis præstat nobilitas virtutis. Quod in primis testantur sacræ litteræ, uti Prov. IV. *Accipe sapientiam* (seu quod idem est, virtutem) *et exaltabit te : glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus : dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta pro-*

*teget te* : rursum Prov. XXXI. *Mulier timens Deum, ipsa laudabitur* : ubi etiam Salomon, postquam mulieris fortis virtutes expressisset, statim subjicit : *Survexerunt filii ejus et beatissimam prædicaverunt : vir ejus et laudavit eam*. Quod in primis testatur eadem Scriptura de Juditha, quæ etsi genere nobilis, virtute tamen longe nobilior, indeque longe famosior erat. « Erat, inquit, hæc in omnibus famosissima (non ob generis prosapiam), sed quia timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. » Accedit S. Chrysostomus, hom. XV. in Matth. « Nihil est, inquit, quod sic hominem faciat insignem atque conspicuum, etiam si magno ambitu optet latere : ut splendor iste virtutis. Sicut enim ipso sole circumdatus, ita utique clarus refulget, nec in terram solummodo lucis radios emittit, sed supra ipsum etiam cælum proprio fulgore radiabit. » Jo. Cassianus, coll. XXIV. cap. ult. « Nonne obsecro, inquit, etiam id centuplum gratiarum evidentissime, qui fideliter Christo deserviunt, consequuntur, dum pro nomine ejus a summis principibus honorantur? Ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen etiam in persecutionum angustiis, iudicibus cunctis ac potestatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forsitan despicibilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro conditione servili, si in sæculari conversatione mansissent : » et paulo post : « Quid evidentius in abbate Joanne, qui in illa eremo, quæ Lyco oppido adiacebat, commoratur, possumus approbare? Qui per obscuris natus majoribus, ita pro Christi nomine, universo pene humano generi admirabilis factus est, ut eum ipsi quoque præsentium domini, qui mundi hujus atque imperii gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis, regibusque terrori sunt, velut dominum venerentur, et oracula ejus de tam longinquis regionibus expectantes, imperii sui apicem et statum salutis bellorumque proventus illius orationibus meritisque committant? » Hucusque Cassian. Quis etiam nescit quanto in honore habitus sit Antonius a Constantino M. adeo ut sibi honori duceret, vel per breves litteras ab eo accipere? S. Martinus ab imperatore Maximo, ut pro magno haberet, sibi ab eo poculum propinari? Ab ejusdem conjugæ, ut ad mensam ei administrare posset? S. Franciscus a cardinalibus, ut se felices reputarent, si cum ipsis pranderet vel loqueretur? Neque solum boni et virtutum amantes id honoris impenderunt virtuosus hominibus ; sed etiam reprobi, qui virtutem non coluerunt. Unde S. Chrysostomus, hom. V. in Gen. « Tanta virtutis potentia est, inquit, ut reverentur et multum laudent

eam, etiam qui illa carent. » Exemplo id ostendit Nabuchodonosoris (hom. VI. ad pop.) qui : « Antea quando dixerunt : (tres pueri) *Diis tuis non servimus*, fornace sævius accensus est : postquam vero per ipsa opera hæc ostenderunt, non tantum non indignatus est, sed laudavit et admiratus est, quod sibi non obedissent. Tantum virtutis bonum, quod et ipsos hostes habet admiratores et laudatores. « Benedictus, inquit, Deus, qui misit angelum suum et eruit servos suos, quia crediderunt in eum, et verbum regis immutaverunt, et tradiderunt corpora sua, ne servirent diis alienis. » Dan. III. S. Bernardus id ipsum ostendit testimonio Balaami, serm. VII. in Ps. *Qui habitat*. « Pseudopphetam, inquit, Balaam recolite. Et ipse iniquus mortem justorum optabat, et novissima sua horum similia apprecabatur. Tantus est pietatis fructus, tanta justitiæ merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis et injustis. » Idem comprobatur facto illius Laban, qui, licet impius, justum tamen Jacob amabat et detinere apud se conatus est, etiam per fas et nefas, dum ei pro Rachele Liam substravit : ut in posterum etiam pro Rachele ipsi serviret, cujus amore flagrabat : pro Lia non serviturus, uti observat S. Chrysostomus, in cap. XXIX. Gen. hom. LVI. Jam vero ubi aliquando in tanto pretio et honore fuit sanguinis nobilitas carens virtutibus? « Ostende mihi de Scripturis inquit D. Cyrillus Alexandrinus, lib. XII. in Levit., ubi aliquis peccator aut parvi meriti (licet nobilissimæ prosapiæ) magnus appellatus sit? Nusquam, opinor, invenies. Audi vero qui sunt, qui magni appellantur : Moyses Joannes Baptista, etc. » Moyses quidem, Exod. XI. *Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti* : Joan. Baptista, Luc. I. *Erit magnus coram Domino* : Judith, in ejus libro, cap. XVI. *Magna facta est in Bethulia* : Isaac, Gen. XXVI. *Magnus vehementer effectus est*.

III. Nobilitas generis promovet ad honores, magistratus, aulas principum, eisque proxime adherere facit. At longe magis virtus, quæ hominem Deo conjungit proximumque facit, adeo ut major homine, et quasi angelus, aut etiam Deus esse videatur. Ita Sapiens testatur, Sap. VI. *Custodia legum consummatio incorruptionis est : incorruptio autem facit esse proximum Deo*. Qua in re excessere Lystrenses, qui videntes Pauli et Barnabæ virtutes, clamabant : *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos* ; et vocabant Barnabam *Jovem*, Paulum vero *Mercurium*, volebantque etiam ipsis sacrificare. Non hucusque se extendit virtutis nobilitas : ideoque sapienter respuerunt hunc honorem apostoli ; ad alios tamen honores, et quidem summos, virtus evehit sui cultores Deo-

que proximos facit ; ut patet in Moyse, quem, ob ejus virtutem, ex pastore ducem innumerabilis Hebræorum populi et thaumaturgum fecit, necnon *deum Pharaonis* ; uti ipse Deus dixit, Exod. VII. in Davide, quem itidem ex pastoreulo ad dignitatem regiam provexit, et *virum secundum cor Dei*, quasi intimum Dei amicum constituit : in Josepho, quem ex servo principem in Ægypto fecit, *salvatorem mundi* appellavit : in Mardocheo, quem ex palatii excubitore ad primam in aula Assueri dignitatem extulit : in Daniele, quem ad summos honores apud reges Babylonis : denique, in viris novæ legis pene innumeris ; si quidem ea jubet illos præ cæteris eligi ad dignitates et prælaturas, qui virtute cæteris præstant. Arruncani in ponderoso ligno ferendo regem futurum experiebantur, illumque eligebant, qui diutius id gestasset, in tractu Peruano : apud Medos quoque fortior : in Meroe, qui validiore erat corpore : in Lybia, qui cursu celerior : a Cætheis formosior : a Gordiis obesior : ab Æthiopicis ditior in regem eligebatur, teste Alex. ab Alex. lib. IV. cap. XXIII. in Ecclesia vero Christi illum ad prælaturas assumi jubet Spiritus sanctus, qui virtuosior ; idque *postulat gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. VIII. ac nisi fiat, arguit mundum et expostulat cum eo.

IV. Sanguinis nobilitas adfert secum, aut certe ad se trahit, opes et divitias ; sed fluxas et perituras, ac multoties perniciosas. Nobilitas virtutis et ipsa ditat hominem, sed veris ac solidis opibus. Testatur id in primis senex ille Tobias, c. IV. *Noli timere, fili mi. Pauperem quidem vitam gerimus, inquit, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum*, Hebr. *dabit tibi Deus divitias magnas, si requisieris eum in toto corde tuo* ; idque evenit quando nobilem et ditissimam sponsam angeli ductu sortitus est. Idem universim de omnibus dicitur, Ps. XXXIII. *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*. Salomon utique ditissimus erat, et tamen in suis opibus nihil se reperisse nisi vanitatem et afflictionem lamentatur, Ecclesiast. II. Idem regi Hiram viginti oppida dedit ; ea tamen ipsi adeo non placuerunt, ut appellaret ea *terram Chabal*, h. e. *lutosam vel displicentiæ*. Audiamus Chrysostomum, l. II. adversus vituperatores vitæ monasticæ : « Tantæ sunt virtutis opes, inquit, ac copiæ, adeoque quam vestræ dulciores et amœniores, ut qui has habuerint, nunquam eas velle possint cum universa terra commutare, ne si illa quidem aurum fiat, cum mari et fluminibus et montibus : » et mox : « Quantum enim pecuniarum Alexandrum Diogeni daturum putas, si quidem ille voluisset accipere? Sed non